

**Dēmāne et Dēmazāna**  
fābula Xhōsa ab Āfricā Austrālī

In Africā Austrālī habitant frāter et soror, nōminibus Dēmāne et Dēmazāna. Quod parentēs mortuī sunt, Dēmāne et Dēmazāna habitant cum avunculō. Avunculus tamen est malus et saepe eōs pulsat.

Itaque, ubi quattuordecim annōs natī sunt, Dēmāne et Dēmazāna ab avunculō discēdunt. Multōs diēs ambulant et tandem spēluncam vident.

Dēmāne et Dēmazāna ianuam fortem faciunt, quod in terrā habitant anthrōpophagī. Iam Dēmāne serā iānuam claudit et Dēmāne et Dēmazāna dormiunt.

Postrīdiē, Dēmāne discēdit et cibum quaerit. Post totum diem, Dēmāne redit cum cunīculō et cantat per iānuam: "Soror, soror, aperī iānuam. Cibum habeo!"

Dēmazāna iānuam aperit et cunīculum coquit. Mox Dēmāne et Dēmazāna iterum dormiunt. Anthrōpophagus tamen, nōmine Zīmus, prope spēluncam erat et Dēmānem audīvit.

Postrīdiē, Dēmāne iterum discedit et cibum quaerit. Iam Zīmus ad iānuam ambulat et cantat, "Soror, soror, aperī iānuam. Cibum habeo!" Vōx tamen est rauca. "Nōn es frāter meus!" Dēmazāna respondet.

Zīmus itaque ad anthrōpophagōs amīcōs it. Ūnus amīcus inquit, "Incende guttur. Vōx nōn iam erit rauca." Itaque Zīmus lapidēs calidōs cōnsūmit.

Zīmus iam ad spēluncam redit et iterum cantat, "Soror, soror, aperī iānuam. Cibum habeo!" Vōx iam nōn est rauca. Dēmazāna putat Zīmum esse Dēmānem et iānuam aperit.

Hodiē Dēmāne cunīculum nōn invenit. Tantum apēs invenīre potest. Itaque ad spēluncam apēs fert. Postquam ad spēluncam venit, tamen, iānuā est aperta et Dēmazāna abest.

Dēmāne est miser et ad terram cadit, lacrimāns. In terrā tamen Dēmāne cinerem videt. Iam Dēmāne viam cineris videt. Dēmazāna viam cineris faciēbat! Dēmāne statim viam cineris sequī incipit.

Mox Dēmāne videt domum Zīmī. Dēmāne domum intrat et videt anthrōpophagum et magnum saccum. Dēmāne inquit, "Quaesō fer mihi aquam!" Zīmus est attonitus quod iam potest cōnsūmere duōs hominēs! Zīmus nōn vult puerum discēdere et inquit, "Nōlī aperīre saccum et aquam feram." Zīmus ad flumen it.

Dēmāne statim saccum aperit et Dēmazāna saccō exit. Dēmāne apēs in saccum ponit. Dēmāne et Dēmazāna iam exeunt et prope domum manent.

Zīmus redit et Dēmānem nōn videt. Īrātus est, sed quoque famēlicus est. "Quaeram puerum crās," Zīmus inquit et ad saccum it. Zīmus manum in saccum ponit.

"Ah! Puella mē momordit!" Zīmus clāmat.

Iam Zīmus saccum aperit. Omnēs apēs ē saccō volant et Zīmum identidem mordent. Zīmus ā domū currit et in flūmen salit. Statim Zīmus trānsformātur in truncum arboris.

Dēmāne et Dēmazāna domum intrant et multum aurum inveniunt. Iam habent domum et aurum et finiunt vitās in pace.